

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Primae Lineae Doctrinae De Protestatione Cambiali

Hufeland, Gottlieb

Jenae, 1799

VD18 12256064

§. 30.

urn:nbn:de:gbv:45:1-8845

exhibitum. — Aliam sententiam secuti sunt negotiatores anno 1718*), id quod LEYSERO non innotuit, quamquam responsum scabinorum Lipsiensium maxime memorabile in eadem causa prolatum opinioni suae contrarium ipse suae observationi annexerit. Nihil certe in universum evincunt LEYSERI rationes. Provocat ad §. 6. ordinationis cambialis Lipsiensis; sed tum negotiatorum Lipsiensium collegium in laudo priori, tum scabini in responso citato, de singulari quodam et dissimili casu ibi sermonem esse, optime edocent. Provocat ad necessitatem protestationis propter non factam solutionem a legibus impositam; sed quamquam istae leges indefinite loquantur, tamen ad literas cambiales, ad quas acceptatio accesserit, aperte restringendae sunt. Aliud argumentum, „posse scilicet eum, qui in literis cambialibus solvere iussus fuit, etsi acceptatio facta non sit, tamen die solutioni destinato solvere;“ minus adhuc evincit; non enim de possibilitate vel permissione, sed de obligatione solutionis quaeritur; is vero, qui non acceptavit, ex cambio nullo modo est obligatus. Accedit, omnia ista argumenta plus probare quam probare debeant, cum ex illis sequeretur, in omnibus casibus, non vero propter solam absentiam, duplici protestatione opus esse.

§. 30.

Mihi quidem ista quaestio, nisi plura distinguas, solvenda esse non videtur. Primum enim de cambiis irregularibus s. platearum (*Aufsermefswechsel*) videndum. Ex his terminus solutionis aliarum a die literarum visarum, aliarum vero a die literarum datarum pendet. **)

Ap-

*) *Siegel corp. j. camb. P. II. parere 102. pag. 122.*

**) In cambiis a *uso* idem vel priori vel posteriori modo determinatum est.



Apparet in prioribus tempus solutionis non nisi post factam acceptationem certum et definitum esse; ergo nulla acceptatione facta nec tempus, quo solutio fit exigenda, habes, ideoque una saltem protestatio sufficit, nihilque porro expectandum esse censeo. In cambiis vero *a dato* solvendis nullum est ex eorum natura tempus praesentationis definiendum, modo ne id post tempus solutioni praefixum fiat. Protestatione ergo prius opus non est, nisi tempore solutionis. Hoc ergo expectari potest, et iterum protestatione simplici contenti esse possumus. Omnino vero plures ordinationes cambiales etiam cambiis *a dato* certum praefigunt praesentationis faciendae et acceptationis postulandae terminum. Sed tum quoque sola circa tempus praesentationis facta protestatione omnia absoluta esse videntur; quanquam cambium ad tempus solutionis usque retinere possit possessor, exspectans an forte trassatus adhuc veniat et solvat. Illum vero et tempore solutionis absentem fuisse ut denuo probet, non est obligatus. Mutatio enim, id est in hoc casu adventus trassati, non praesumitur et quod reliquum est, ipsi trassanti incumbit, ut acceptationem tempore legitimo faciendam curet. — Idem fere in omnibus nunc de cambiis nundinarum dixerim.

§. 31.

e) *Circa instrumenti cambialis acceptati redditionem.*

Et haec quidem hactenus de casibus circa acceptationem et solutionem obvenerunt. Restat vero tertium quid protestationem efflagitans, de quo nemo fere iureconsultus, qui de cambiis exposuit, mentionem fecit; cuius expositionem tamen iterum praecipue STEVENKINGIO debemus. Tangit istud redditionem cambii vel penitus denegatam vel rei non perfecte adaequatam. More

D 3

enim

